

301

299

305

295

310

290

350

250

400

200

Ende

Anfang

286

processimus in capellam gloriosae Virginis Mariae ad altare
in facie capellae. Porro in illo loco, ut antiqua habet traditio,
est locus, in quo beata Virgo Maria morabatur ex ea hora,
qua a cruce fuit ducta usque ad filii sui a mortuis resurrec-
tionem, nec fuit in civitatem Jerusalem reducta. Erant enim
juxta scopulum Calvariae in horto aliquae pauperum hominum
habitationes, sicut hodie sunt extra civitates domus in hortis,
in quibus pro tempore recreationis domini horti habitant, sed
aliis temporibus et continue pauperes in eis sunt. Cum ergo
Dominus Jesus in cruce pendens matrem Johanni commenda-
set, abducta fuit a cruce, sed nullo modo longius permisit se
duci a cruce filii sui, nec intrare civitatem voluit, sciens,
quod in tota Jerosolyma non erat pro ea hospitium propter
filii sui ignominiam, quae tanta erat, quod etiam matrem
cuncti recipere horrebant. Duci ergo se permisit ad domici-
lium non longe a cruce, ut morienti filio et exspiranti non
decesset, sed in omnibus his participaret, et quid post mortem
de corpore filii ageretur, videre et scire voluit, ut si abjice-
retur, sicut aliorum damnatorum corpora, ipsum sibi tolleret,
vel si sepulturae traderetur, sepulturae adesset, et officium
funeri exhiberet, sicut et fecit. Nam cum vidisset Joseph et
Nicodemum ad sepeliendum filium paratos, accurrit et ipsa
doloribus repleta, et sepulturae affuit, et inde reducta in
domicilium fuit, nec longius secedere voluit. Hoc enim solent
aliae piae matres suis natis caris facere, quod si permitte-
rentur, continue manerent ad (111 A) sepulchra suorum
dilectorum, flentes, sicut Maria Magdalena, quae a monu-
mento Lazari, fratri sui, vix potuit avelli, ut habetur Jo-
hannis XI. Quanto magis beatissima Virgo Maria, quae incom-
parabiliter plus dilexit filium suum, quam aliqua mater vel
amicus posset diligere suum carum. Ad hunc ergo locum
post resurrectionem suam Christus primo accessit. Et dicit
Vincentius ordinis Praedicatorum, quod resurgente Domino
praemisit angelum Gabrielem nunciare matri adventum glorio-
sissimi filii, quo facto statim supervenit filius, albissimis
indutus vestibus, vultu sereno, speciosus, gloriosus et gau-
dens, rutilantibus cicatricibus, et totus festivus apparuit dul-
cissime eam salutans, secumque ducens omnes beatos, quos

